



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Francisci Pegnae Sacrae Theologiae, Iuris vtriusque, & liberalium artium
Doctoris Disputatio, de auctoritate seu robore, probatione, & vtilitate
Extrauagantium, seu litterarum Apostolicarum, pro ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

145

FRANCISCI PEGNAE SACRAE THEOLOGIAE

Iuris vtriusque, & liberalium artium Doctoris

Disputatio, de auctoritate seu robore, probatione, & utilitate Extrauagantium,
seu litterarum Apostolicarum, pro officio sanctissimæ Inquisitionis
contra hæreticam prauitatem.

S V M M A R I V M.

- 1 Romanorum Pontificum cura in extirpandis hæreticis.
- 1 Leges multæ contra hæreticos late.
- 1 Leges contra hæreticos sub certis titulis distinctæ. (les.)
- 1 Leges extrauagantes contra hæreticos, quæ Extrauagantes cur sic appellatæ.
- 2 De quib. extrauagantibus habeatur hic sermo.
- 2 De auctoritate extrauagantium quæ differuerint.
- 3 De extrauagantibus latis contra hæreticos suscipitur hic disputatio.
- 3 Extrauagantes omnes contra hæreticos edite semper durant.
- 4 Leges seculares contra hæreticos conditæ obseruandæ sunt.
- 4 Romani Pontifices leges seculares contra hæreticos factas obseruari iusserunt.
- 4 Inquisitores in suis diocesisibus an possint facere statuta contra hæreticos.
- 5 Imperatores etiam leges contra hæreticos latis obseruari preceperunt.
- 5 Iustinianus leges suorum prædecessorum editas contra hæreticos custodiri iussit.
- 6 Leges desuetudine non abolentur.
- 6 Leges præsertim late contra hæreticos non tolluntur per desuetudinem.
- 6 Leges contra hæreticos factæ semper viuunt, & semper loquuntur.
- 6 Leges cur per desuetudinem non tollantur.
- 7 Extrauagantes quando dicantur decretis contentis in corpore iuris sub titulis de hæreticis obiuare.
- 7 Solus Episcopus, vel solus Inquisitor multa olim facere poterat contra hæreticos, quæ nunc non potest.
- 7 Extrauagantes editæ contra hæreticos vt nou valeant, quid obseruari debeat.
- 7 Quid cauere possint extrauagantes, & valebunt in hac causa.
- 7 Statuta Inquisitorum contra hæreticos, an valeant.
- 7 Leges non possunt omnes articulos contingentes decidere.
- 8 Concilia provincialia contra hæreticos edita, vim legis obtinent.
- 8 Theolosanum, Biturrensis & Narbonense concilia contra hæreticos celebrata vbi nunc sunt reperta. (habeant.)
- 9 Instructiones priuatarum Inquisitionum quæ vim

- A 9 Instructiones vniuersæ Inquisitionis non obligant in vniuersum omnes orbis inquisitiones.
- 9 Inquisitores vniuersæ prouinciæ, quando possint alterius Inquisitionis constitutiones obseruare.
- 9 Instructiones & constitutiones inquisitionis Hispaniæ quales.
- 9 Inquisitores prouinciarum generales, quales constitutiones condere possint.
- 10 Consuetudo cuiuslibet inquisitionis, quatenus obseruanda.
- 10 Inquisitoribus datur facultas procedendi secundum approbatam consuetudinem.
- 10 Consuetudo tribuere potest Inquisitoribus vt contra blasphemos procedant.
- 10 Consuetudo priuilegium & etiã iurisdictionem tribuit.
- 10 Consuetudo quando præponderet sacris canonibus.
- 10 Consuetudo rationabilis quæ dicatur.
- 10 Inquisitores in procedendo quid obseruare debeant.
- 10 Romana inquisitionis consuetudo & stylus obseruandus.
- 11 Extrauagantes cum certè sunt iuri communi præponderant.
- 11 Si dubitatur de extrauaganti an sit authentica, quid agendum.
- 11 Extrauagans quando præponderet iuri communi.
- 12 Sententia lata contra extrauagantem, an sit nulla.
- 12 Iudex non tenetur scire leges incognitas & occultas.
- 12 Iudici fides faciendæ est de extrauaganti.
- 13 Extrauagantium auctoritas quor. modis possit probari.
- 13 Extrauagantis auctoritas probatur ex plû. bo pendente.
- 13 Extrauagantes supra posita omnes fere sunt authentica, & quare.
- 13 Extrauagans in archiuo publico reperta, authentica est, & fidem facit.
- 13 Extrauagantes repertæ Romæ in bibliotheca Vaticana fide faciunt.
- 13 Item extrauagantes repertæ in archiuo Romane inquisitionis.
- 13 Extrauagantes a notario subscriptæ, vel persona ecclesiastica in dignitate constituta sigillo munitæ, fidem faciunt.

K Extra-

- 14 Extravagantes sint leges generales, & vbi-
bique seruari debeant.
- 14 Extravagantes favore fidei licet vni psona
vel loco dirigatur, ab oib. seruari debet.
- 14 Lex an sit generalis ex persone statuentis
pensandum est.
- 14 Francisci Bursari sententia reiecta.
- 14 Extravagantes contra hereticos editæ, cur
Fratribus vnius ordinis fuerint quado-
que directæ.
- 14 Imperatores condentes leges vni interm
magistratui eas dirigebant.
- 14 Extravagantes contra hereticos, cur ad
certa loca sepe destinantur.
- 14 Inferiorum iudicium leges, seu statuta nõ
ligant extra suum territorium.
- 14 Sententia principis, & eius epistola vni-
uersale ius facit, & omnes ligat.
- 14 Extravagantes editæ cõtra striges siue la-
mias directæ Inquisitorib. Alemania, ad
ceteros vbiq. Inquisitores extenduntur.
- 14 Extravagantes an mortuo earum condito-
re expirent.
- 14 Extravagantes late contra hereticos, non
finiuntur mortuo conditore, sed semper
durant.
- 14 Nõ est de essentia legis quod sit perpetua.
- 14 Leges regulariter perpetua esse solent.
- 14 Leges cõiter ita cõduntur, vt oēs obligent.
- 14 Quandoque conduntur extravagantes vni
soli loco competentes.
- 15 Extravagantium multiplex vtilitas confi-
deratur.
- 15 Ex notitia præcedentiũ extravagantiũ in-
telliguntur iura de hereticis loquentia.
- 15 Per extravagantes præcedentes errores
multi evitantur.
- 15 Eymericus et Zachimus decretis extrava-
gantium sepe nituntur, & ideo rectius
quam alij scripserunt.
- 15 Inquisitores lectiõni extravagantium in-
cumbere debent.
- 15 Turpe est iudici ignorare ius ad se pertinẽs.
- 15 Extravagantes præcedentes cõtra hereticos
late, iussu Reuerẽdis Cardinaliũ Inqui-
storum generalium fuerunt impressæ.

I
Continua Ro-
manorum Pon-
tificum cura in
extricandis he-
reticis.



B exordio nascentis Ecclesiæ
protinus Pastores vigilare cep-
erunt aduersus pseudo disci-
pulos, qui non intrantes in
Dominicum ouileper ostium,
aliunde conscendere, & vineam Domini Sa-
baoth, Catholicam videlicet Ecclesiam dile-
ctam Christi sponsam quasi vulpeculæ frau-
dulenter demoliri conabantur: quorum vigi-
lum pastorum exemplo laudabili ceteri dein-
ceps continua temporum serie Romani Pon-
tifices, ardore Christianæ fidei & religionis
accensi, se murum pro domo Domini aduer-
sus hostes catholicæ Ecclesiæ apponentes,
sedula diligentia quotiens occasio postula-
bat, & concilia prælatorum numerosa coacta

multitudine celebrarunt, & leges multa æqui-
tate & iustitia munitas contra hereticos con-
diderunt, & alias à Principibus secularibus
conditas sua auctoritate roborarunt.

Ex his quædam labentibus annis pontifi-
cia auctoritate in certa volumina, certosque
titulos optimo artificio & accurata metho-
do sunt relatæ, quæ nunc in Decretalibus,
Sexto, & Clementinis, sub titulis de hereti-
cis referuntur. Aliæ pleræque, vel quia à colle-
ctoribus visæ non sunt, vel quia longo tem-
pore post eas collectiones sunt conditæ, ex-
tra eos iuris receptas titulos & libros disper-
sæ remaserunt: quas ea fortassis de causa Ex-
travagantes nostri iuris interpretes appellarunt
de quarum auctoritate & robore nunc est a-
gendum, vt intelligatur quanta sit eis habenda
fides: quo modo probetur earum auctori-
tas: & quanta sit earundem vtilitas.

Ac primum hic nobis præfandum est, non
esse nunc nobis differendum in vniuersum de
auctoritate & robore quantumlibet extrava-
gantium de aliis rebus heresi tractantium:
nam hunc articulum longe lateque disputant
nostri in c. 1. de const. lib. 6. Panormitanus, &
alij in c. pastoralis. de fide instr. idem Panor.
& Ioan. An. in c. 1. de sent. & re iud. Bart. in l.
cum prolati ff. de re iud. Bal. in l. 2. C. quan-
do prou. non est necesse, Zabarella consil. 40.
incipien. prædictæ cõstitutionis. Geminianus
consil. 78. incipien. formantur ista secunda du-
bia. Philippus Probus in pragmatica sanctio-
ne, ca. Et quia. §. ipsas omnes verbo, extrava-
gantes, & verbo, regulas. Mantua. consil. 1. Go-
zadinus consil. 6. Ludovicus Gomes in præ-
mio regularum c. necel. q. 2. Quintilianus Ma-
dosius in 5. q. 9. reg. c. cella. nu. 2. & in 1. q. 28.
reg. nu. 3. & seq. & in 3. q. eiusdem regulæ 28.
& alij, quos in sequentibus adducam.

Sed hoc loco de auctoritate & viribus ea-
rum extravagantiũ præcipue dissero, quæ con-
tra hereticã prauitatem conditæ sunt, in po-
sterumue condentur: nam in alijs maior forte
est dubitatio, in his vero facilius quæstionis
solutio, cū habeamus aperta pontificia respõ-
sa hanc litem dirimentia, docentiaq. omnes
cõstitutiones cõtra hereticã prauitatem edi-
tas in suo robore permanere: nam in c. vlti. §.
vlt. de her. lib. 6. ita scriptũ est: *Constitutiones
vero, ordinationes & mādara alia prædeces-
soriũ nostrorũ in negotio hereticæ prauitatis fa-
cta, cõcessa seu etiã ad cõsulta respõsa, quæ cõ-
stitutionibus superscriptis super eadem editis
prauitate non obuiant, in suo volumus robore
permanere.* hæc tenus Bonifacius 8.

Idem ipsum paucis post annis confirma-
uit Clemens 5. in cõcilio Viennensi. refertur-
que in Cle. 1. de her. §. vlt. his verbis: *Alia sa-
ne, quæ circa præmissum inquisitionis officii à
nostri sunt prædecessorib. instituta (quatenus
p̄senti decreto nõ obuiat) sacri approbatione cõ-
ciliij roborata, sua volumus firmitate manere*
hac

2
De auctoritate
extravagantium
in vniuersum
qui differunt

3
Extravagante
in hereticos
dite licet au-
sint in corp-
re iuris clari
valide sunt.

hec ibi. atque hoc ipsum vbique obseruat no
stri, praesertim illi, qui contra hereticos tracta
tus scripsere. Eymericus 3 part. quaest. 84. &
quaest. 131. Zachinus tract. de haeret in proe
mio, num. 1. & c. 6. num. 7. Repertorium In
quisitorum, verbo, extrauagantes. Petrus Go
dofredus in l. Arrian. ver. cunctis quoque. C.
de haeret. notant Geminianus, & alij in dicto
cap. ult. in fine. de haeret. lib. 6.

4
Leges sacra
les in haereti
cos editae etiam
inviolabiliter
obseruanda.

Sed neq; sola Pontificia leges haereticam
prauitatem coercetes, licet extra iuris titulos
ferantur, obseruari debent, immo amplius cauit
Innocentius iiii. rescripto quoda magistrati
bus secularibus misso, incipiente: Orthodoxae
fidei. (quod etiam hic curauimus imprimen
dum) vt & leges item saeculares, & alia quaeli
bet statuta contra haereticos condita inuolabili
ter obseruentur, his verbis: *Considerantes at
tente, quod iurisdicctio eorum.* [scilicet Inqui
toru,] *quod fuerit plenior in hac parte, eo ma
gis esse poterit fructuosa, volumus & nostris
sibi damus litteris in mandatis, vt vos monere
procurerit, & inducere diligenter, vt statuta ip
soru, & alia ecclesiastica, & saecularia, & con
stitutiones & quodam Frederici Romanorum
Imperatoris, tunc in deuotione Ecclesia persi
statis, edita contra haereticos fautores, recepta
tores, & defensores eoru, quae conscripta, &
bulla nostra munita transmittimus, conscribi
in statutarijs vestris, eaq; obseruetis, & facia
tis irrefragabiliter obseruari.* haec tenus ibi.

Atq; ex hoc rescripti fragmēto praeter cae
teros apud Emerycum in Directorio 3. par
te super quaest. 86. vers. sed maior difficultas
ostendi Inquisitores haereticae prauitatis in
suis diecesibus posse aduersus haereticos no
ua codere statuta, penas in eos argentia, quae
fauore fidei valida, & suis viribus consisten
tia & haberi debeant, & penitus obseruari.

Neque hoc est recens inuentum, vt putat
legum, antiquitatis, & historiae ignari; na &
ab initio ferme nascētis Ecclesiae supra mille
& centum annos, nempe anno Domini 430.
Christiani principes hoc ipsum sanciuerunt.
Theodosius enim & Valentinus Imperatores
Augusti, (vt scripsi extat in Codice Theodo
siano. li. 16. tit. 4. l. 54. quam centum fere post
annos Iustinianus in suu codicem transtulit,
ac roborauit. C. de haere l. Arriani.) no mo le
ges a se conditas aduersus haereticos vim le
gum inuolabilium habere voluerunt, sed qua
seuq; etiam alias ab alijs principibus. editas,
firmas & validas manere iusserunt his verbis:
Cunctis quoq; legibus, quae contra eos [scilicet
haereticos] *caterosq; qui nostra fidei refraga
tur, olim diuersisq; temporibus latae sunt, sepe
vixidi obseruatae valituri, &c. & paucis in
terpositis, illis etia oibus in sua manentibus
firmitate, quae de militia, pennisq; varijs, deq;
diuersis sibi haereticis promulgatae, vt nec spe
ciale quidem beneficium aduersus leges va
leat impetratum. haec ibi.*

5
Leges quali
bet in haereti
cos latae obser
uandas esse ue
tustissimi Im
peratores sanc
uerunt.

A Ex his apertissime docemur generaliter le
gem quantumcunque diu facta non aboleri
desuetudine, vt grauitur docuit Iason in l. de
quibus. notabili 6. ff. de legibus, & senatus. &
Mattheus Afflictus in repetitione sanctionis
de iure protomileos, § 6. notab. 1. nu. 2. & An
gelus Aretius in §. igitur. in proemio Insti
tutio. nu. 2. quod tamen generaliter in omni
bus legibus obrineat, illis obseruatis distin
ctionibus, quas retulit praecitato loco Affli
ctus: in his vero, quae contra haereticam praui
tatem latae sunt, maxime obseruatur. nulla
enim praescriptio, nullum temporis quamuis
longissimi spatium, aut tollere radicitus, aut
immutare potest; nisi nominatim & expresse
alia ferantur leges, quae illas reuocent, aut
immutent; leges enim huiusmodi semper vi
uunt, cap. contra. 25. quaestio. 1. semper item
loquuntur, vt norant Bart. Butrig. & Salyc.
in l. Arriani. C. de haeretic. & idem Salyc. in
Authent. cassa quaestio. 3. de sacros. eccles. &
Ioan. Imo. in l. 3. §. si rem. ff. pro emptore. &
olim maximus Plato de legibus loquens dia
logo 9. dixit, legem ipsam, quae aliquid inter
dicat, id pro vniuersa ciuitate semper interdi
cere, & interdicituram esse.

6
Leges desue
tudine, aut lon
go temporis in
teruallo non
abolerunt.

C Dixi autem, desuetudine non tolli leges,
quoniam etiam si per mille annos allegatae
non sint in iudicijs, praesertim cum ab initio
fuerint receptae no propterea abibunt in de
suetudinem, vt grauitur & verè differit Iaco
bus de Beluisio, in Authen. de haeredibus, &
Falcidia, post principium, & Cynus in l. rem
non nouam. C. de iudicijs.

An autem & quando per contrariam con
suetudinem leges tollantur, non est praesen
tis instituti nunc docere.

Quod vero ait Bonifacius octauus in di
cto cap. ult. de haeretic. & Clemens v. in di
cta clem. 1. §. vlti. de haeretic. tunc scilicet
extrauagantes esse admittendas, quando de
cretis contentis in titulis de haereticis non
obuiant, eo pertinet, vt intelligamus vete
res omnes leges in haereticos latae confir
mari, dum modo manifesto, & expresse eis
decretis non contradicant: quoniam si con
tradixerint, solum in ea parte in qua contra
dicunt, emendatae sunt; in ceteris vero uali
dae semper remanent. Res fiet vno exem
plo illustris; nam in similibus idem erit iu
dicium. Iure veteri solus Episcopus, item
solus Inquisitor per se poterat haereseos reos
duro carceri mancipare, torquere, & sen
tentiam condemnatoriam in eos pronuntia
re, vt optimè scripsit Eymericus, 3. part.
quaest. 48. vbi dixi copiose. hodie tamen id
obuiat dispositioni Clementinae prime §. pro
pter quod, ver. duro tamen, de haeret. & ideo
in ea parte tantum lex antiqua est sublata
omnino, in ceteris vitidem obtinet obser
uantiam.

7
Extrauagantes
quando dicantur
decretis titu
lorum de haereticis
obuiare.

Iam illud amplius colligitur, ad hoc ut ex
trauagantes

trauagantes, & quælibet alia leges contra hæreticos editæ per clausulam prædictam tollantur, oportere vt expresse constitutionibus positis in ritualis de hæreticis obuiant, id est, vt manifeste, & expresse eis contradicant, atque è diametro cum eis pugnent: id enim significat verbum, obuiandi, in præcitatæ responsis positum, vt docent humaniorum litterarum professores, quos in re aperta conulto. omitto.

Ergo si per constitutiones extrauagantes aut quasuis alias leges ecclesiasticas aliquid caueatur, quod à iure communi non sit prouisum, aut non plene decisum, dummodo expresse cum eo non pugnet, siue id pœnas in hæreticos & eorum complices augeat, siue modum inquirendi, interrogandi, euocandi, compellendi, torquendi, publicandi, aut quid simile præscribat, id profecto obseruandum erit, quod a pertissime probant præcimatorum rescriptorum verba.

Statuta Inquisitionum ualida sunt.

De generalium autem Inquisitionum statutis, seu institutionibus, quæ multa interdum cauere solent, aut omiſsa penitus à iure communi, aut parum explicata, hoc sentio: quod si vel faciliorem præscribant modum procedendi in causis fidei, vel pœnas in hæreticos augeant rationabiles, inspecta locorum, & personarum qualitate, vel denique quacunque alia ratione ea iubeant, quæ in augmentum fidei sine cuiusquam præiudicio tēdunt, proculdubio obseruanda sunt: euidens enim ratio hoc suadet, quoniam leges iam latæ siue in hac causa, siue in alijs, non possunt plene omnes casus siue articulos occurrentes decidere. In neque leges. ff. de legibus, & senatusconsulto. sit ergo, vt id quod ad commodiorem causarum tractationem statuitur, vbi & iustum est, & iurisdictioni non repugnat, debeat obseruari.

8. Concilia provincialia auctoritate delegatorum sedis Apostolicæ in hæreticos edita vim legis habent.

Præterea quæ de extrauagantibus diximus, obtinere etiam putamus in concilijs provincialibus auctoritate Apostolica, seu auctoritate delegatorum sedis Apostolicæ contra hæreticos editis; quæ sunt Tholosanum, Biterrense, Narbonense, & si quæ sunt similia, quæ a nobis nup in bibliotheca Vaticana in peruetusto codice (quem nobis Illustrissimus Cardinalis Guilielmus Siretus vir omni eruditionis genere clarus, & Christiana pietate insignis, humaniter exhiberi ob publicam utilitatem iussit) reperta proxime cum nostris commentarijs in lucem dabuntur, huiusmodi. n. concilia, auctoritate delegatorum sedis Apostolicæ condita vim legis habent in hoc crimine, & penitus obseruanda sunt. Ita non obscure colligitur ex prædictis, sed notatim id cauit Urbanus iiii. in rescripto incipiente: Præ cunctis. §. & obseruari. relato ab Eymérico part. 2. ubi ita scriptum est: *Et obseruari omnia statuta, tã per sedem Apostolicam, quam in concilijs legatorum eiusdem sedis prouidè edita, quæ negotium Catholicæ fidei tangere dignoscuntur, sicut*

A promotioni negotij, & augmentationi fidei fuerit opportunum. hæc ibi.

Nec te moueat in quibusdam codicibus hanc periodum paulo aliter contineri ita: *quam in concilijs eiusdem sedis.* quæ verba solis summorum Pontificum statutis, non delegatorum eius, robur tribuere uidentur: quoniam in multis exemplaribus etiã peruetustis, lectio nem, quã paulo antea retuli, frequentius inueniri scio. & eam lectionem prudenter etiã agnouit Eymericus 3. par. q. 72. cum eam rescripti partem ad hoc institutum, de quo nunc agimus, citaret.

B. De instructionibus vero, seu priuatis aliquarum Inquisitionum constitutionibus, ueluti de instructionibus Inquisitionum Hispaniæ a multis uidi sæpe dubitari, quantum vim habeant, quod est hic a nobis obiter etiã declarandum.

Ac primum hæc est exploratissimum, eas instructiones in eis tantum regnis vim habere, obseruandasque esse ibidem ab inferioribus Inquisitoribus: extra Hispaniam uero in terris, quæ generalis Inquisitoris Hispaniæ iurisdictioni non subduntur, nullam penitus obtinent firmitatem: quoniam iudices inferiores & si potestatem habeant condendi leges, at ubi eas condiderint uniuersales non sunt, neque extra suum territorium earum uirtus egreditur. c. 2. de constit. lib. 6. l. vlt. ff. de iurisdict. om. iud. tales sunt Episcoporum, & Inquisitorum leges, quas in suis condunt territorijs.

Inquisitoribus uero aliarum Prouinciatarum, tunc iuxta dispositionem instructionum aliter Inquisitionis procedere securè licebit, quando a iure communi non discrepant, aut rationi consentaneæ sunt, & in illis locis opportuna, cōsideratis locorum, personarum, negotiorumque circumstantijs.

Sunt autem, vt ingenue fatear quod sentio, utiles Hispaniæ instructiones, rationi cōsentaneæ, & eruditæ, nempe quæ a multis & sapientissimis uiris, matura deliberatione uarijs temporibus sint conditæ: docentque singulariter, quidquid in primis ad praxim attinet, & propterea Inquisitorum muneri & officio sunt valde accommodatæ. Ego ita cenſeo, quicumque fidei iudices iuxta præscriptum ordinem, & methodum earum instructionum processerint, aut iudicauerint, siue absoluendo, siue condēnando, siue salutares penitentias imponendo non errabunt, imò quidem recte suo munere, fungentur, sed prudentiæ & iudicij opus est.

E. In his instructionibus, si quid caueatur quod iuri communi contradicat expresse, ipso iure id inualidum est, vt præcitata rescripta ostendunt, in cap. vlti. §. vlt. de hæret. lib. 6. & in element. 1. §. vlti. de hæret. ceterum si generalis Hispaniæ Inquisitor, aut quis alius a sede Apostolica obtinuerit, vt intra suam iurisdictionem possit condere instructiones etiam iuri communi contrarias, quæ ad extirpationem prauitatis hæreticæ perti-

9. Instructiones Inquisitionis Hispaniæ, & aliarum Inquisitionum quam vim habeant.

pertineant: sane tunc illis erit in eis regnis obtemperandum exempla multa occurrunt: sed facile omitto: nam docendi ratio absque eis intelligi potest. de ceteris aliarum Inquisitionum instructionibus, seu sanctionibus, idem est iudicandum.

IO
Consuetudo approbata, & rationabilis cuiuslibet Inquisitionis obseruanda.

Iam quæ hæcenus de instructionibus seu sanctionibus priuatarum Inquisitionum diximus, eadem quoque de consuetudine cuiuslibet Inquisitionis accipienda sunt: nam Inquisitores hereticæ prauitatis tum in puniendis hereticis, ab iurationibus faciendis, reis torquendis, inducijs concedendis, totoque processu fabricando, tum in ceteris quæ ad latissimum suum officium spectant, approbatis suæ Inquisitionis consuetudinibus uti possunt, quod in priuilegio creationis ipsorum continetur: nam inter cetera eis conceditur, ut procedant contra omnes hereticos cum omni auctoritate, facultate, & potestate tam de iure, quam de approbata consuetudine: approbatam autem consuetudinem velut legem esse obseruandam explorati iuris est. §. ex non scripto. Infit. de iure nat. gent. & ciuili. vbi communiter Doctores.

Vnde si per uetustam & approbatam alicuius Inquisitionis consuetudinem receptum esset, ut Inquisitores hereticæ prauitatis, indistincte animaduertent in blasphemio, crederem eos id iudicium absque errore posse exercere: nam consuetudo hæc illis tribueret priuilegiū, cum consuetudo priuilegium tribuat, ut docet Bar. in præmio Digestorum. §. hæc autem tria. num. 3. Rursus quoniam consuetudo tribuit iurisdictionem, glossa singularis in l. more maiorum. ff. de iurisd. om. iud. facit textus in c. cum contingat. de foro compet. vbi Fely. Bal. in rub. de consuetud. col. 2. per l. viros. G. de diuer. offi. lib. 12. vbi Bart. in fine. Romanus consil. 243. incip. ad prædictorum roborationem, ut. secundo principaliter, & consil. 300. incip. in casu proposito. Iure Decius in dicta l. more maiorum. ff. de iurisd. om. iud. nu. 19.

Naque hoc mirum videri debet, cum consuetudo tantam habeat vim: ut etiam canonibus præponderet, si sit rationabilis: & legitime præscripta. cap. vlti. extra de consuet. tradit glossa communiter recepta in cap. pastoralis. verbo, dissona. de fide instrum. & Aymo Grauetta in tractat. de antiquit. temp. par. 1. §. 1. num. 42.

Veruntamen monendi sunt hic Inquisitores, ne quamlibet suæ Inquisitionis consuetudinem velut rationabilem admittant: nam ut consuetudo dicatur rationabilis, & approbata, plura exiguntur, quæ non facile possint in quaui consuetudine reperiri: rationabilis enim dicitur consuetudo, quam iura non improbant, aut quæ iuri non contradicit. glossa in cap. vlti. verbo, rationabilis, extra de consuet. item ut consuetudo pro lege seruetur, multa requiruntur: glossa & Doctores, in cap.

A consuetudo. distinct. 1.

Quam ob rem ne quid velamine, aut prætextu approbare consuetudinis incautum committant Inquisitores, sequentia intueantur. Primum curæ omnino cuncta gerere, hoc est, processus suos fabricare, omnemque ordinem iudicarium dirigere in puniendo, & ab soluendo, & ceteris ad suum officium spectantibus iuxta canones, præsertim eos qui de hereticis sunt, & contra hereticos conditi: deinde uero ad consuetudinem & stylum Romanæ Inquisitionis, a qua ceteræ velut a capite pendent, ubi leges deficiunt, & in arduis, audacter recurrant; quis enim concedat in re tam graui priuatas Inquisitionum, aut prouinciarum consuetudines facile esse sequendas? præsertim cum iura ubique clament, maiores Ecclesiæ causas, & præsertim quæ articulos fidei tangunt, ad sedem Apostolicam esse referendas. cap. Maiores. de baptismo & eius effectu. ergo priuati ciuitatum Inquisitores, si tutius, & securius tractare omnia cupiunt, cum leges deficiunt, aut etiam obscuræ sunt leges. stylum & consuetudinem supremi senatus Inquisitionis Romanæ, quæ ceterarum caput est, consulant & sequantur, in hac enim nullum est erroris periculum: nam præterquam quod a sapientissimis iudicibus & vigilantissimis causæ fidei tractantur, quotidie etiam summum Pontificem consulere licet, cuius iudicium quantam in rebus fidei habeat auctoritatem, exploratissimum est apud Catholicos.

Priuari Inquisitores stylum Romanæ Inquisitionis obseruant.

Sed ad Extrauagantes reuertor, quantum tanta est auctoritas, ut si exploratæ fidei sint, aut (ut nostri loquuntur) indubitata, constitutionem in corpore iuris clausam tollant cap. 1. de constitut. vbi Doctores, Guimier in pragmatica sanctione, cap. & quia. §. ipsas omnes, verbo, extrauagantes, quod si dabitur, an sit authentica nec ne, tunc si est iuri consona, secundum eam debet iudicari, at si à iure discrepet, summus est Pontifex consulendus, cap. Pastoralis, vbi Panormit. & alij, extra de fide instrum. & tradit glossa in pragmatica sanctione loco proximè citato. huius autem doctrinæ multa occurrunt exempla in positis extrauagantibus, quæ breuitatis gratia omittimus, attamen prædictatum dogma ita credendum intelligendum, ut tunc extrauagans iuri communi præualeat, & secundum eam sit iudicandum, quando in extrauaganti apponetur clausula: *Non obstantibus quibuscunque constitutionibus in contrarium, &c.* quæ communiter apponi solet: nam si hæc clausula defuisset, præsertim in nostris extrauagantibus, si quid tunc contra decreta in titulis de hereticis contenta sancirent, id plane irritum esset, per iura adducta ex cap. vlti. §. vlti. de heret. lib. 6. & clem. 1. §. vlti. de heret.

II
Extrauagantes cum certis sunt iuri communi præponderant.

Ex prædictis pender quæstio ad intelligendum utilis, & huic instituto valde accommodata.

12
An sententia lata contra aliquam extrauagantem sit nulla.

K 3 data,

data, an scilicet sententia à iudice lata contra dispositionē alicuius extrauagantis, sit nulla? & cum extrauagātes, vt hætenus demonstratum est, virtutem legis habeāt, plane irritum videtur iudicium contra earum dispositionē factum. at Bartolus in l. cum prolatis. num. 2. ff. de re iud. quem alij proxime citādi sequūtur, ita distinguebat: si sententia sit lata cōtra extrauagātem in corpore iuris clausam, nulla erit: secus autem si reuera sit extrauagans, hoc est, si non teperiatur in corpore iuris. idem videtur tenere Romanus consil. 260. incipien. in proposito casu. Alex. consil. 81. incipien. ponderatis his lib. 2. Ant. Butrius in præmio decretal. idem in c. pastoralis. de fide instrum. Franciscus Pauinus in præliodio præfixo extrauagantibus. Ioan. xxij. & alij quos ille refert. ratio vero vtriusque partis positæ distinctionis facilis est: nam primum ideo sententia lata contra dispositionem extrauagantis in corpore iuris contentæ est nulla, quia perinde est ac si cōtra legē lata fuisset. Bal. in l. 2. C. quando prouo. non est nece. Ant. Butrius in c. 1. & c. cum inter. de re iudic. tradit optimè Franciscus Pauinus præcitato loco.

Rursus, si extrauagās est incognita, & contra eius dispositionem feratur sententia, non vitatur quia incognitas leges iudex cognosce re non tenetur. argumentū dictæ. l. cum prolatis, ff. de re iud. nam si sententia lata contra legem prolatam, id est, iudici indicatam, quam forte iudex ob summam difficultatem & obscuritatem non intelligebat, nec putabat ad negotium & causam de qua agebatur pertinere, summo iure valet, vt in dicta l. cum prolatis. ff. de re iud. profecto multo magis valida erit sententia lata contra dispositionem extrauagantis ignotæ, & non productæ: ergo liquere debet iudici, fidesque ei faciendæ est de valore & robore extrauagantis, vt sententia lata contra ipsam nulla si & inualida, vt eleganter præcitato consil. 260. docuit Romanus, & Guilielmus Gassadorus decisione 7. super regulis, incipien. Proponebatur dubiū. nu. 5. vbi dicit regulas, extrauagantes & concordatas, nisi producantur in actis, à iudicibus non considerari. atque hætenus de prima huius disputationis parte, quæ ad valorē extrauagantium spectabat.

SECUNDA PARS DISPUTATIONIS, Quomodo probetur extrauagantium auctoritas.

13
Quot modis
probetur extra
uagantium au
thoritas.

SUPERIORIBVS ita cōstitutis, super est nunc altera huius disputationis pars valde etiā vtilis & necessaria, videlicet, qua ratione probari debeat extrauagantiū auctoritas, vt intelligatur quæ sit vere extrauagās, & vim legis habeat, siue vt nostri loquuntur, quæ sit extrauagans authentica, quæ vero secus.

A Hoc etiam caput tractant ferme Doctores, quos hætenus varijs locis adduximus, sed nemo loculētius quam Franciscus Pauinus causarum sacri Palatii olim Auditor in præliodio præfixo ad extrauagātes Ioan. xxij. in hæc verba: *Debent autē extrauagantes quando de eis dubitatur in forma authentica produci sub plūbo. si extra curiā sunt producēdę: vel sub signo Vicecællarij, si in curia sūt producēdę: et hoc de illis quę sunt descriptę in libro Cæcellarij; illa autē quę sūt descriptę in Camera Apostolica signantur cū signeto Camerarij, vel sub plūbo, &c. & ita seruetur in Curia Romana.* hætenus Pauinus, à quo nō dissentit Ludouicus Gomes in præmio regularū Cæcellarię, & alij recensiores: nam & id vsus obseruat.

B Primum ergo modus probandi auctoritatem extrauagantium extra curiam (nam curiā nunc libenter omitto, cum magis necessariū sit absentibus cōsultere, quam illis, qui quotidiē Pontificem Romanum alloqui possunt) est, cum extrauagantibus seu rescriptis pontificijs adiungitur appensum illud plumbeum cum fune canapis, impressis in ipsius vna parte sacris Petri & Pauli capitibus, in altera vero nomine eius Pontificis, qui rescriptum edit, seu et necedit.

C Hinc intelliges præcedentes extrauagātes diuersorum Romanorum Pōtificum pro officio sanctissime Inquisitionis contra hereticam prauitatem authenticas esse, & pro lege seruandas: quoniam ex autographis seu archetypis aut originalibus pendenti plumbeo munitis desumptæ, & transcriptæ sunt à nobis summa diligentia, & præsertim omnes illæ, quæ habentur in Archiuiū Inquisitionis Bononiensis, & in archiuiū Conuentus sancti Francisci de Assisio plumbeo pondere munitæ sunt, vt protinus summam earum percipias auctoritatem: alię vero vnde habeantur, notatiuicula in margine posita initio cuiuslibet extrauagantis aperte indicat.

D Rursus auctoritas etiā extrauagantis probari potest, si reperiat in publico alicuius loci Archiuiū. Romanus dicto cōsil. 260. quæ refert & sequitur apostilla ad Bart. in dicta l. cum prolatis. ff. de re iud. verbo. posita. idem Romanus cōsil. 165. incipien. liber Registri. & consil. 319. incipien. in causa Ioannis. Gemianus consil. 82. incipien. circa thema. num. 6. & sequen. Decius cōsil. 146. incipien. pro teuii. num. 10. Marcellus consil. 29. incipien. Digneris quæso. & consil. 43. incipien. Spiritus sanctus. & late Crauetta in tract. de antiquit. tempor. parte 1. num. 194. & seq. & glossa in cap. Cum causam. de probat. in. vers. per libros antiquos. quoniam in publicis archiuijs non solent recondi nisi quę publica auctoritate geruntur; idque sit summa integritate & veritate, adhibita personarum publicarum auctoritate, quorum fides & & religio probata est & perspecta.

Hinc

Ex pondere
plūbo pendet
si probatur ex
trauagantium
auctoritas.

Extrauagans
reperitur in Ar
chiuiū publico
indem. facti.

De auctoritate extrauag. disputatio. 151

Hinc colliges eas extrauagantes & quilibet alia rescripta, quae Romae in bibliotheca Vaticana in Regestis Pontificum Summorum asseruantur, magnam habere & inuolabilem auctoritatem, tametsi non adsint pondera plura, cum in his Regestis nihil describat, & non sit prius multa diligentia examinatum & praesumtum, summaque auctoritate, & veritatis sinceritate munitum, & per publicas personas, iuxta Romanae Curiae styli & consuetudinem consignatum & obfirmatum seu subscriptum, unde ab scripturis ceteris in his Regestis omnis incertitudo procul abest. Atque hoc ipsum est obtineri in scripturis desumptis ex Archivio Inquisitionis Romanae, ut hinc et colligas, extrauagantes & rescripta inde sumpta inuolabilem & certam habere auctoritatem.

Denique extrauagantium & rescriptorum pontificiorum firma etiam probatur auctoritas & fides, quae tunc manu alienius notarij publici, & sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita sunt, quod generaliter hodie obtinet in omnibus rescriptis pontificijs extra curiam missis, per clausulam eiusdem rescriptis insertam, per quam id non obscure cauetur: ita enim praestatur tanta fides ipsi rescriptorum exemplaribus seu transumptis, ac praestaretur originalibus ipsis rescriptis.

Sed occurrat hoc loco difficultas mihi necessario diluenda, quae iuris ignaros posset in hac causa perturbare, an sequentes extrauagantes ubique obseruari debeant? videbitur enim alicui nec vbiq; nec ab omnibus Inquisitoribus aut iudicibus esse obseruandas.

Primum, quia certis quibusdam Inquisitoribus destinantur, veluti fratribus ordinis Praedicatorum: Rursus non vbiq; degentibus, sed in Lombardia, Marchia Taruina, aut alibi in locis quibusdam singularibus constitutis. Cum igitur rescripta haec localia videantur, non debent omnes generaliter ligare. cap. 1. & c. 2. de const. lib. 6. l. vlt. ff. de iurisd. om. iud.

Iam de natura legis vniuersalis, & generalis esse videtur, ut sit perpetua & durabilis, ut docet Archidia. in c. donatum. r. q. 7. & Nicolaus de Mili. verbo lex. §. facit textus in l. edita. C. de edendo. l. b. i. perpetui edict. extrauagantes vero non sunt tales cum extinguantur & moriantur suo conditore mortuo, ut videtur velle Ioannes Andr. in c. nemo potest. de reg. iur. lib. 6. & Cosma Guimier in glossa pragmatica sanctionis, cap. Et quia. §. ipsas omnes. verbo, regulas.

Postremo, quia ut lex vniuersaliter liget & obliget, principem id expresse caueri oportet per notata in l. nec Dorotheu. C. de decurio. lib. 10. facit textus in c. 1. de constit. hoc autem deesse videtur in nostris extrauagantibus.

Ceterum his minime restagantibus, certum est extrauagantes vbiq; seruandas esse. Primum, quia haereticam prauitatem aduersus quam sunt condite, & fauor fidei, quem respiciunt, & iudices q

eis ubi debent, ubi q; eodem iure censentur: ius ergo quod circa haec versatur, vbiq; valebit, cum eadem vbiq; sit ratio. l. a Titio. ff. de verb. obli. l. illud. ff. ad leg. Aquil. cum similibus.

Rursus ex persona statuentis metimur legem esse generalem aut specialem. c. vult. de const. lib. 6. at summus Pontifex habet generalem iurisdictionem super haereticam prauitatem, & fidei negotia: sit ergo, ut leges extrauagantes ab eodem conditae generaliter vbiq; locum habeant, atque haec sententia vera est, quam probant ut praecitati, tum in primis adducta per Lud. Gomas in proemio reg. cancel. quaest. 2.

Atque ex his & aliis nonnullis in Directorio Inquisitorum par. 3. super q. 109. §. praeter non arbitror traditis resellebam in hac editioe sententiam Francisci Bursati consil. 43. incipien. ob crimine heresis. nu. 52. li. 1. dicitur. constitutiones Innocentij iiii. & Clementis iiii. Romanorum Pontificum disponentes de bonis hereticorum confiscatis, in Italia solum esse obseruandas: quoniam ad terras Italiae fuerunt directae & transmissae: hoc enim tamquam improbabile prorsus censeo reiiciendum.

Neg; obstant quae contrariae sententiae probare videbantur. Primum enim non refert, solis sepe fratribus ordinis Praedicatorum mitti: hoc enim ideo fit, quia initio constituta Inquisitionis delegata, hi in primis cum Episcopis & Fratribus Minoribus iudicium in haereticos exercebant: & summi Pontifices his loquentes, omnibus inquisitoribus loquantur, nam eodem modo Imperatores, quorum sanctiones et leges in Codice Iustiniano numerantur, leges suas quaedamque Eutropio, Iulias Palladio, alijs alijs vbiq; praefectis praesidibus nancupant, ut in praefixis legum titulis licet intueri: at nemo dicit perinde eas leges particulares esse, immo sunt necessarium praecitas has personas exprimere ut per eas leges conditae vbiq; obseruari iuberentur.

Iam non obstat, ad certa loca destinati, quia cum sepe contingat summi Pontificis ab Inquisitoribus vnius ciuitatis, vel prouinciae rogari, leges ferre, legislator illis ea legem destinat: at non est eius metus, ut velit in eo solo loco eam legem valere, sed generaliter vbiq; eadem est ratio: nam licet hoc argumentum procedat in inferioribus iudiciis, qui limitatam habent iurisdictionem, quorum placita neminem ligant extra territorium. l. vlt. ff. de iurisd. om. iud. at non est ita in principe supremam iurisdictionem habente, qui quaeuis faciat actum concernentem certum locum aut personam, nihilominus ille actus non facit legem particularem, sed vniuersalem. l. vult. C. de legib. vbi sententia principis in certa causa lata, vniuersale tamen ius facit, & omnes ligat. quod ipsum operatur principis epistola certae alicui personae directa. l. 1. vers. per epistolam. ff. de const. princip. cum similibus. tradit Ioannes a Platona, in l. neq;. C. de decurio. lib. 10. declaratq; pulchre Iason in l. 1. nu. 24. ff. de feriis.

Extrauagans a notario subscripta, & sigillo personae ecclesiasticae in dignitate constitutae munita, fidem facit.

14 An extrauagantes sint leges generales.

propterea in Ap. publico fact.

Et hanc sententiam, quam hoc loco explicamus, nominetim & expresse profitetur Bartholomæus Spineus tract. de strigibus cap. 3. vult. pater etiã ex supradictis. ubi vere tenet, quod quamuis extrauagantes editæ aduersus striges siue lamias, (quas ille eo loco refert) dirigantur ad Inquisitores Alemaniam, nihilominus tamen non minus se extendunt ad alios Inquisitores, quã Decretales in corpore juris ordinata, quantum multæ ad singulares personas diriguntur: & tamen quod per tales iubetur, aut prohibetur, seu quomodolibet ordinatur, pro lege ab omnibus obseruatur, cap. si Romanorum. 19. dist.

Præterea non obstat tertia obiectio de perpetuitate legis: quoniam fateor equidem extrauagantes quandoq; cum conditore interire, at hoc in multis, & præsertim in nostris extrauagantibus locum non habet, quas perpetuo durare satis abunde docuimus in superioribus cum de earum auctoritate differeremus, neq; Ioan. And. aut præcitati indistinctè asserunt, extrauagantes extinguere per mortem conditoris, sed eas seruandas esse, præsertim viuente earum conditore, & ubi non sunt contrariæ iuri communi, & decretis sacrorum conciliorum. 25. q. 2. c. institutionis. c. r. de constit. notatque Ant. in proc. clem. & Franc. Paulinus super extrauagantes Ioan. 2. 2.

Et tamen si temporales essent, & cum conditore interirent, at non propterea sequeretur, non esse leges generales; quoniam dum viueret conditor generaliter omnes obligarent, neque enim pertinet ad essentiam legis quod sit perpetua, hoc enim in potestate legislatoris positum est, vt copiose docet Geminian. cons. 93. incip. Videtur primo, quod ista reseruatio, nihil enim refert ad vniuersitatem legis, quod sit temporalis, cum in hoc voluntas sola conditoris attendatur, vt notatur in c. nobis. de sent. excommunicat. & in clem. 1. de vit. & honest. cle.

Neque sententia Archidiaconi refragatur huic doctrinæ: is enim loquitur secundum id quod sit communiter, nam regulariter quidem leges perpetuæ esse solent, ceterum, vt dixi, extrauagantes nostræ perpetuo viuunt, & loquuntur.

Postremo nihil refert, Principem nõ caute nominatim, vt extrauagantes generaliter omnes obligent, quoniam communiter leges ita conduntur, ut omnes obligent, & perpetuæ sint, vt paulo antea dicebamus, & nisi contrarium caueat (quod communiter fieri solet) voluisse putandum est. l. si quis donaturus. vbi glossa. ff. de usufru. l. quod si nolit. §. qui assidua. ubi Bald. ff. de ædilit. edict. cum alijs relatis ab Euerardo in loco à solitis.

Non inficior tamen quandoq; solere condi extrauagantem tum in causa hæresis, tũ in alijs, vni soli loco competentem: quia materia de qua ea extrauagans concepta est, in eo

A solo loco forte versatur: ceterum si contingeret similia alibi fieri, tunc ad ea quoque loca extrauagantis dispositio referenda esset.

TERTIA DISPUTATIONIS PARS De vtilitate extrauagantium.

Supereest iam, vt tertium propositæ disputationis caput absoluaus, in quo de vtilitate harum extrauagantium breuiter differendum est.

B Quanta sit extrauagantium vtilitas non oportet multis ostendere, cum res ipsa per se id loquatur apertè. Primum. n. ex notitia extrauagantium melius forte quã ex turbidis & molestis quorundam interpretum cõmentationibus intelligitur vniuersa Pontificum rescripta in titulis de hæreticis comprehensa, nam cum extrauagantes copiosius sint concessa, & ex ipsis quædam in eum finem sint condita, vtque alibi erant in iure communi quandoq; paulo obscurius tradita, per ipsas declaratur, & quasi lumine interpretationis illustrentur, consequitur plane ex hoc capite inges utilitas, & studijs Inquisitorum, & ceterorum, qui hæreticis extirpandis, aut iudicando, aut consulendo, aut scribendo dante operam, accedit non parua commoditas; nulum est. n. fere decretum in prædictis titulis de hæreticis comprehensum, quod per aliquam extrauagantem nõ declaratur, ampliatur, aut vberius distinguitur.

C Rursus non modo præfata decreta cõmodius percipiuntur, verum etiã ex notitia extrauagantium facile possumus euitare errores interpretum qui dum obscurè interpretari conantur, ob ignoratas extrauagantes, aut obscuriora docent, aut manifeste falsa tradunt, aut incerta, & dubia persuadere conantur: quod in tã graui causa nusquã fuerat committendum, neminè hic liber in ius vocare, ne videamur studio reprehendendi moueri, aut cuiusquã famam & honorè ledere, quod procul abest sepeq; absuit a natura nostræ; hoc tũ sit exploratissimũ & certissimũ apud omnes eos, qui tractatus de pœnis hæreticorum, & ordine procedendi contra hæreticos scripserunt, & destituti fuerunt extrauagantiũ notitia, in insignes quandoq; errores lapsos fuisse, quos facile euitassent, si eis intelligendis diligenter operam (vt oportuit) nauassent.

E Hinc sepe soleo plurimũ commẽdare Nicolauum Emericum, & Zanchinũ seu Ioannem Calderinum, qui in singulis difficultatibus declarandis maiori ex parte nituntur decretis cõtents in titulis de hæreticis, & extrauagantiũ in hæreticos edictarum sanctionibus hæc. n. docendi ratio in hoc tribunali ceteris præponderat, idq; se factũ promissit Zanchinus in præmio tractatus sui de hæreticis, vt maiorem operi auctoritatem conciliaret, id quoq; præstitisse Emericum ostendit

15
Extrauagantium
multiplex vtilitas.

in prefatione tertiae partis Dicoctri inquisito-

rum. Postremo illa est non modica utilitas : quae ex noticia extrauagantium proficiscitur : quoniam vniuersa Inquisitorum privilegia & prerogatiuae luculentius in eis quam alibi perspiciuntur ; nichil est enim quod ad amplissimum & latissimum Inquisitorum officium, potestatem, & dignitatem pertineat, quod in his extrauagantibus non sit comprehensum, atque haec sola res vehementer Inquisitores mouere, ardentemque exortare deberet ad assiduum studium, & frequentem extrauagantium lectionem. Paucissime enim mori poterunt in suo officio quaestiones & difficultates, quae uel a parte per extrauagantes non declarentur, aut non inuita consecutione interpretatio ex eis non deducatur.

Agite ergo quicumque sacro inquisitionis officio libere & ingenue iudicando, consulendo, aut scribendo ad extirpandam haereticam prauitatem

A famula u. n. diligenter positaram extrauagantium lectioni nauare operam, eaque nocturna uersare manu (ut ueteri proverbio coninetur) uersare diurna, si ualeatis & honori uestro, & animae conscientiae, ac securitati, & muneri ac oneri uobis commissio consultum esse. Frequenter uobis occurrat laudabilis illa & egregia sententia Quinti Mutii Iure consulti in Seruum Sulpitium tam grauius quam uere prolata: Turpe esse patritio & nobili uiro, ius in quo uersatur, ignorare: se turpius profecto esse uiro Inquisitori, grauiusque & maxime rei profecto, ignorare culpa sua extrauagantium sanctiones, quae nunc optima (nisi fallor) methodo digestae, iussu Reuerendissimorum dominorum Cardinalium Inquisitorum generalium in uniuersa Republica Christiana, in lucem prodentium: cum ex earum ignorantia non leuia incommoda, ex noticia uero non mediocres utilitates in rebus fidei oriuntur. Valete.

Romae ex bibliotheca nostra, Galen. Octob. Anno M. D. LXXXIIII.

[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through or ghosting.]